

Nec via per Kiliam longior nec difficilior erit. Vt valens  
celerrimoque cursu ad nos venias opto, ego vero semper ero  
Tui observantissimus  
Fabricius.

An den Herrn Professor v. Linne Wohlgeb. in Ham-  
burg Abzugeben bey dem Herrn Professor Gieseke  
Franco.

Joh. Hartv. Ernst Bernstorff.

(86) Per-Illustri ac Celeberrimo  
Domino Carolo von Linné,  
Equiti aurato de Stella polari,  
S. R. M. Sueciae Archiatro, reliqua,  
S. P. D.  
Johannes Bernstorffius

Responsum ad Literas Tuas, voluntatis in me Tuae te-  
stes, die XXIV Decembris anni superioris ad me exaratas,  
mihique longe jucundissimas, non nisi eo consilio per aliquod  
tempus distuli, quod in dies plura quaedam Forskáliana, abs  
Te, Per-Illustris Linnaee, jure sane Tuo desiderata, e dis-  
sitis Orientis regionibus ad me perventura sperarem, quae,  
si advenissent, Tecum e vestigio et perquam lubenter com-  
municásem.

Spes ea me, quod impense doleo, fefellit, eandemque  
atrox illud, nec unquam satis deplorandum fatum, quod via-  
toribus nostris in Arabia, irreparabili fere rei et sacrae et  
literariae damno, tantopere fuit exitiale, praescindit, et utinam  
non plane tollere videretur.

Ut benigniorem sortem in reditu experiatur ille, qui ex  
eorum numero solus est superstes, idemque supellectilis lite-  
rariae a reliquis conquistae custos unicus, id vero nobis  
quam maxime in votis est.